

1337 gentos fuisse, peditum vero sex millia; caupones præterea, lixas & calones non paucos. Collatini Comites, qui Scalanarum fuerant partium, & ipsi cum non parva militum manu in castra venerunt: multi quoque ex Carnorum finibus, & ultra Alpes & Germania, ad tanti belli famam domo exciti Venetas copias non mediocriter auxere. Mastinus, audita Rubrii profectioe, & quæ in Lucensi agro per eos dies, quibus ille Florentiæ fuit, gesta fuerant, Tremulana obsidione soluta, Lucensibus primo opem ferre statuit, atque urbem valido inire præsidio, quam vehementer timuit, ne sibi tam acerbi hostis præsentia adimeret. Sed quum nunciatum esset, illum Venetias accersitum, rescivissetque per exploratores, quam ingentes copias Veneti comparassent, citato agmine Veronam contendit. Albertus Mastini frater Patavium interim valido muniverat præsidio, remque communi consilio cum Ubertino Carrario administrabat: quo fit ut non Mastini, quod ferme omnes tradunt (aberat enim quam longissime) sed Alberti ductu Opitergium receptum credam. Intentus itaque ille in omnem occasionem, ut primos Venetorum motus aut evertere, aut, si id minus procederet, aliquo incommodo remorari posset; quia aperta vi non poterat, ad dolum se convertit. Præsidebat per id tempus Mestra (est id Taurisini agri oppidum Venetis stagnis propinquum) Thomasinus quidam, homo Spineta Malaspinæ (qui Scallana sequebatur arma) longe familiaris: hujus nomine locum ille præsidio tenebat. Is, Spineta auctore, fœdum est facinus in Venetos aggressus: quinque millia aureorum nummum pactus, Venetis se oppidum traditurum pollicetur: uxoremque in fidem rei ac filium dat obsides. Constitutoque ad rem transigendam tempore, Albertus & Spineta silentio noctis oppidum cum expedita equitum ala ac peditibus non paucis ineunt. Veneti, etsi proditorem obsidibus inauktoratum habebant, nihil fidem temere habendam rati, Veneti nominis haud quempiam ad nocturnam illam expeditionem passi sunt exire. Quingenti mercenarii milites missi: quos quarta noctis vigilia in oppidum indu-

*Mercenaria
Venetorum
cohortis ad
Mestram
proditiōe
cæsa est.*